

Vel denique ab his affectibus afficimur in rebus intellectis, *per motum arbitrarium, fugiendis vel prosequendis, & illi alacritatis vel languoris appellatione insigniri consueverunt.*

XX. Est autem *dolor sensitivus*, dolor ex ingrato nervorum motu, ad cerebri spiritus sensoriumque commune delato, & ibidem à mente percepto, ortus.

Quia organa sensoria sunt varia, variaque sunt objecta sensibilia, idcirco motus ille ingratus, dolorem in variis sensationibus efficiens, etiam est varius. Atque hinc aliis dolor est, qui ab ingrato sapore in lingua; aliis, qui ab ingrato odore in naribus; aliis, qui ab ingrato lumine in oculis; aliis, qui ab ingrato fono in auribus; aliis, qui ab ingrata tactili qualitate in nervis tactoriis excitatur.

*Dolor* autem *tactorius*, quia magis est obvius, & vehementius præ ceteris nos afficit, fere solus inter ingratas sensationes doloris nomine vulgo indigitari solet.

*Isque oritur* ab omni vehementiore sensoriorum tactoriorum, cutis, carnis, nervi, & similiū, motu, partes lacerare apto.

Atque ideo à vehementi calore, frigore, punctione, scissione, verberatione, contusione, tensione, aliisque similibus causis, motum talem vehementiorem, in instrumentis tactoriis producentibus, originem dicit.

*Neque ulla est causa, cur semper in dolore tactorio solutionem continui adesse dicamus:* sufficit enim h̄ic ad doloris productionem solus motus justo vehementior, partes lacerare aptus; quippe qui, teste experientia, s̄epissime per calorem & frigus, item acrimoniam, similesque alias intemperies, citra ullam continui solutionem, in illis partibus excitetur.

*Hic inducit vigilias & inquietudines*, vehementi illo suo motu spiritus ventriculosque cerebri vehementius dilatando: *spasmodum & convulsiones*, valvulas quorundam nervorum inordinate aperiendo: *lipothymiam*, spiritus in cordis fibras constrictorias determinando: *inflammationes & tumores*, poros quorundam vasorum nimis recludendo.

*Voluptas sensitiva* est voluptas, ex grato nervorum motu, ad cerebri